

De Theoxeno Cynico scriptore

Inter alia quae de Anacharsis vita eiusque ingenio memorat Himerius Sophista in oratione εἰς τὸν Ἰριβᾶτον Ῥωμαῖον (1) confecta Scytham illum sapientem legimus Eleusinam quondam ad urbem advenisse, ut sacris mysteriis initiaretur (ἤγαγε δὲ ἄρα ὁ τοῦ πυρὸς τοῦ κατ' Ἐλευσίνα πόθος καὶ Ἀνάχαρσιν τὸν Σκύθη ἐπὶ μυστήρια). Unde autem hanc orator notitiam acceperit, quae fabulosa iam dudum viris doctis (2) est visa, inquiringenti fontem invenire antiquiorem facile licebit: exstat enim in Luciani opere quod *Scythia* inscribitur locus de Anacharsi memorabilis, quem hic operae pretium est integrum exscribere (cap. 8): τὰ τελευταῖα καὶ ἐμύθη μόνος βαρβάρων Ἀνάχαρσις, δημοποίητος γενόμενος, εἰ γὰρ Θεοξένῳ πιστεύειν καὶ ταῦτα ἱστοροῦντι περὶ αὐτοῦ.

Ex hisce enim verbis primum colligi potest, quanta adfinitate Himerii sententia de Anacharsis initiatione Luciano devincta haereat, deinde fontem ipsum quem Samosatensis hausit (idque gravissimum) memoratum invenimus, Theoxenum scilicet, qui post innumera (neque aliter reor verba καὶ ταῦτα esse intelligenda) de Anacharsi testimonia sapientem Scytham rettulit sacra Eleusinia etiam adiiisse. Cum autem apud antiquos scriptores huius initiationis testimonium frustra et ipse quaesiverim et alios viros doctos frustra quaesivisse noverim (3), Lucianum unum Theoxeni scriptoris locum laudasse vix teneor quin pro comperto ponere ausim. Nec id satis: nam si Samosatensis verbis diligentius animum attendimus nimirum Theoxeni ἱστορίαν exigua quidem fide dignam Lucianum habuisse sentimus, ipsamque permultas de Anacharsis vicibus notitias continuisse. Scripsit ergo Theoxenus iste ante Luciani aetatem opusculum, quo Anacharsis laudatum ingenium eiusque vices enarratae sunt, quod mire concinit cum docti viri R. Heinze opinione, qui scite

(1) Haec est numero XXX in Himerii editionibus vulgo insignita, numero autem XXIX in novissima, quam protuli, oratoris editione (HIMERII, *Declamationes et orationes*, cum deperditarum fragmentis A. Colonna recensuit, Romae 1951).

(2) Vide enim CH. A. LOBECK, *Aglaophamus*, Regimontii Prussorum, 1829, vol. I, p. 282, n. b.

(3) Vide praesertim W. SCHMID, in PAULY-WISSOWA, *R. E.*, s. v. *Anacharsis* (1894).

subtiliterque Luciani testimonio adhibito ratiocinatus est (1) medio saeculo IV a. Ch. n. vel ad finem vergente exstitisse opus Cynici cuiusdam philosophi ingenio expressum, quo Anacharsis vices in terra Graeca ad fabulosum plerumque redactae genus continerentur. Licet enim recentiores nonnulli viri docti, sicut R. Helm (2) vel potius P. von der Mühl (3), haud indocte quidem probare conati sunt Anacharsis personam, qualem Samosatensis effinxerit, nullam fere Cynicorum olere officinam, verum ad antiquiorem redire Herodoti descriptionem, eorum disputationes non eo usque provectae sunt, ut Heinzii opinioni tam ingeniose expressae docteque a viro Graecae religionis studiosissimo C. Prächter (4) probatae fidem omnino demere valeant. Nam Luciani testimonio cum Herodoto aliisque V saeculi scriptoribus diligenter comparato, facile praestat fabulosae de Anacharsi narrationis initia et quasi fundamenta in Herodoteis ponere libris, totam autem integramque Scythae barbari vitam Cynici cuiusdam philosophi ex ingenio ac stilo depromptam medio fere IV saec. a. Ch. n. statuere, qua vices iam ab Herodoto memoratae novis quibusdam fabulis de Anacharsis praestantia, moribus ad naturae cultum adcommo-dat, pietate autem erga deos aliisque naturalibus virtutibus commixtae invenirentur.

Utrumque sese res habet, Theoxenum scriptorem licet tandem a tenebris ad lucem proferre, cum prorsus ille ignotus apud commentaria vel lexica de Graecis litteris conscripta usque ad hunc manserit diem: porro autem de ipso alterum quamvis brevissimum testimonium inter scholiorum antiquorum farraginem in Theocritum collectam mihi deprehendere est visum, exstat enim in adnotatione ad Theocr. I, 3-4 (3-4 Wendel) haec sententia: Θεόξενος δὲ οὐράνιον τὸν Πᾶνά φησιν. Num scriptor iste, qui caelestem Pana deum appellavit, idem fuerit ac fabulator a Luciano in opere quod *Scytha* inscribitur laudatus, valde dubium esse libenter concedo, tamen in tam arta Theoxenorum stirpis egestate aliquam afferre opellam vetustum scholii auctorem non erit qui iure naso suspendere velit adunco! Atque utinam doctis contingat antiquitatis cultoribus mox alia eademque graviora invenire apud scriptores antiquos testimonia, quibus aut firmare aut certa refutare possint ratione pauca quae hic de Theoxeno protuli scriptore.

Romae.

ARISTIDES COLONNA

(1) R. HEINZE, *Anacharsis*, in *Philologus*, L (N. F., IV), 1891, pp. 458-468.

(2) In ephemeride quae inscribitur *Neue Jahrbücher*, L, 1902, pp. 365-367.

(3) P. VON DER MÜHLL, *Das Alter der Anacharsislegende*, in *Festgabe für H. Blümner*, Zürich, 1914, pp. 425-433.

(4) In *Archiv für Geschichte der Philosophie*, XI, 1898, pp. 513-515.